

tendit ille quàm hic, adeò quidem, ut si quis ex Terrâ sublatus circa novilunium, ubi Terræ discus illuminatus Lunæ totus obvertitur, cum Selenitis eundem inscius respiceret, procul dubio vel 15. Lunas plenas in unum coaluisse discum lucidum, vel Lunam antiquam 15. ferè majorem factam arbitraretur. Tantus enim illic videtur Terræ discus lucidus, quantus hîc interdum discus halonis circumlunaris nobis apparet. Nam si, quod Epicurus & Heraclitus de Sole dixerunt, pedalis ponatur Luna nobis hîc visibilis, Terra vicissim ferè quadrupedalis h. e. tanta videbitur ex Lunâ, quantus est circulus diametro ferè quatuor pedes longâ præditus, cum Luna nobis hîc saltem ut circulus diametro pedali circumscriptus appareat. Quod uti visu jucundissimum esset, ita miraculo non careret, si quis primùm illud attenderet.

2. Major etiam est splendor ille Telluris quàm Lunæ *ratione intensiōis*, non quidem *inhæsiuæ*, quomodo Solis lumen majus dicitur & intensius lumine omnium stellarum; sed *objectiuæ*, quomodo trium speculorum in idem opaci parietis punctum reflexus splendor major dicitur splendore unius. Nam quod *prius* attinet, cum æqualiter, & ab eodem fonte, totidemq; radiis ad sensum singulæ tam lunaris, quàm terrestris, disci partes æquales illustrentur, similiq; opacitate lucem utræque reflectant, igitur æqualis etiam splendor utrisque velut inhæret, nec in his intensior in illis remissior, si partium prædictarum similis etiam opacitas attendatur. Aliàs enim, ut in ipsâ Lunâ aliæ partes aliis intensiori lumine lucent, propter diversam opacitatem; ita in globo etiam terrestri, ut supra diximus; hinc si diversæ opacitatis partes lunares & terrestres inter se comparentur, nihil prohibet, quominus inæquale lumen possideant, quamvis quantitate sint æquales. Quoniam autem totus discus lunaris opacitate similis est totius Terræ disco, ut in capite præcedente

mo n.